

B
159

SACRA RITUUM CONGREGATIONE

Reverendo ac Reverendo Domino

CARDINALI ANTONIO VICO

PRAEFECTO ET RELATORE

CONGREGATIONIS
CLERICORUM REGULARIUM DE SOMASCHA



B 159

CONCESSIONIS ET APPROBATIONIS

OFFICII PROPRII ET MISSAE

IN FESTO

PATROCINII B. M. VIRGINIS

MATRIS ORPHANORUM

I N S T A N T E

*Reverendo Capitulo Generali Congregationis
CC. RR. de Somascha*

CONGREGATIONIS
CLERICORUM REGULARIUM DE SOMASCHA



CONCESSIONIS ET APPROBATIONIS

OFFICII PROPRII ET MISSAE

IN FESTO

PATROCINII B. M. VIRGINIS

MATRIS ORPHANORUM

I N F O R M A T I O

Eñe ac Rñe Domine,

1. Devotione gratoque animo acti erga ipsorum Instituti Caelestem Matrem ac Patronam, Patres Capitulares Congregationis Clericorum Regularium De Somascha preces Beatissimo Patri porrexerunt ut in Festo Patrocinii B. M. Virginis Matris Orphanorum, sub die 27 Septembris celebrando, a Sodalibus praefatae Congregationis Officium cum Missa proprium in posterum adhiberi possit ac valeat.

Si qua vero res fuit unquam a S. ista Rituum Congregatione expetita, quae primo oculorum intuitu concedi posse videatur, ea est procul dubio, quae Vobis, Eminentissimi Patres, hodie proponitur.

Agitur enim de re, qua S. Hieronymi Aemiliani pientissimi Filii peculiari cultu honorare intendunt benignam Matrem, quae, ope sua potentissima, causa et origo extitit Sodalitatis de puerorum, parentibus orbatorum, educatione et christiana institutione optime meritae.

2. Nam traditur in ipso Brevi Beatificationis de mira Beatissimae Virginis interventione: « Arce
 « Castri Novi in Marchia Tarvisina ab hostibus
 « per vim expugnata, Hieronymus, cui tunc prae-
 « erat, ferreis manicis et compedibus devinctus in
 « foedissimum carcerem coniectus est. Eo loci
 « cum extrema quaeque sibi impendere animad-
 « verteret, acriores de aeterna animae jactura,
 « quam de intercepta libertate, iniecto mortis ter-
 « rore, stimulos sensit, atque ex peccatorum con-
 « scientia eos hostes polissimum pertimescere coe-
 « pit, qui se majori supplicio dignum, vinculis aeter-
 « nis constrictum praecipitem in inferos agere pos-
 « sent. Attamen Beatissimae Virginis ope, cui se
 « plurimum commendaverat, incolumis factus,
 « *caelesti eius patrocinio* quam tunc repente assecu-
 « tus est, sempiterna beneficii memoria, retulit li-
 « bertatem. Deinde Venetias repetens, deposita
 « toga, abdicatisque dignitatibus nuntium saeculo
 « remisit, christianae poenitentiae operibus, offi-
 « ciiisque pietatis usquequaque addictus. Hinc mi-
 « ris et suavissimis modis intus agente divina

« gratia, illico intellexit dilectionem proximi, quae
 « legis plenitudo est, non ignavo et inertili amore
 « compleri, sed, in maximis rebus gerendis, et su-
 « stinendis totam versari. Quamobrem pueros, qui
 « ingenti numero, parentibus ferro, fame lueque
 « sublatis, per compila et fora misere vagabantur,
 « divino afflante numine, tecto sua pecunia locato
 « idoneisque magistris conductis, incolumes rece-
 « pit servavitque ».

De quo Virginis patrocinio in Sanctum Instituti
 Fundatorem apertius adhuc Bulla Canonizationis:
 « Dum enim ferox ingenio juvenis infortunio man-
 « suefactus, atque humanarum rerum instabilitatem
 « edoctus, ad maximam post Iesum spem nostram
 « Deiparam Virginem confugit, votoque se ob-
 « stringit celeberrimae cuiusdam sacrae aedis Tar-
 « visinae pie, sancteque invisendae, si praesentem
 « eiusdem opem in tanto discrimine experiretur;
 « fusas ex animo incensas preces misericordiae
 « Mater exaudit, eique suis ipsa manibus vincla
 « solvit, et claves carceris tradit

« Sed cum per medios hostes incedendum esset,
 « novo iterum favore Virginis ipsum benigne ma-
 « nu ducentis impune pergens, magna cum animi
 « alacritate eo, quo statuerat, recta se contu-
 « lit etc. ».

Ita in Litteris Decretalibus « super Canonizatio-
 ne B. Hieronymi Aemiliani Fundatoris Clericorum
 Regularium Congregationis Somaschae », ex qui-
 bus aliisque authenticis documentis haec omni-
 bus sunt nota: Deiparam Virginem assiduum in
 Servum suum impendisse patrocinium quo fretum
 ac adiutum illi charitatis operi ita incumbuisse



impense S. Hieronymum, ut Pater Orphanorum meruerit appellari.

3. Neque tamen haec una est ratio, quae petitionis factae rationem praebet atque titulum liturgicum comprobet; ita enim titulus « Orphanorum Mater » pietatis christianae sensibus receptus approbatusque fuit, ut uni ex porticibus qui civitatem Vicentiam cum celeberrimo Sanctuario Montis Berici coniungunt, apposita jam fuerit, et usque in praesens ibidem insculpta legatur inscriptio: « *B. Mariae Virgini Orphanorum Matri* ». — (Cfr. praeclarum opus Rev.mi Domini Sebastiani Rumor, qui tam egregie Bibliothecarii munere fungitur in Bertoliniana Bibliotheca Vicentina « *Storia del Santuario di Monte Berico* »).

4. Ex hisce igitur opportunitas et aequitas precum clare ostenditur, atque titulus ipse liturgicus comprobari posseprehenditur, non solum quia Deipara Virgo omnium Mater existit hominum, qui per peccatum Deum patrem amiserant, Eoque orbati usque ad Mariae felicem adventum orphani perstiterant, sed etiam ex eo quod S. Hieronymus Aemiliani « caelesti eiusdem Virginis patrocinio, vinculis animae simul et corporis solutus », institutor atque pater factus est puerorum, qui parentibus e vivis sublatis, humano praesidio destituti inveniebantur.

5. Ad schema propositum quod attinet pauca adiciam: Quoad Missam nihil dicendum, quum sit illa quae habetur in Festo Patrocinii B. M. Virginis, excepta oratione, sumpta ex officio; quoad varias Officii partes pariter paucis me expediam:

Antiphonas quod spectat, illa, quae in primis et secundis vesperis est adhibenda, ex precibus S. Gertrudis deprompta, perbelle brevi complectitur

oratione potiores theologicas veritates de B. M. Virgine.

Hymnos pro Vesperis et Laudibus propositos jam adprobavit et indulsit Pius PP. X, sub die 24 Maii 1905, Ordini Sanctimonialium, vulgo Caelestium, a SS.ma Annunciata, in Festo Patrocinii B. M. Virginis.

Lectiones autem IV et V, laudes concincentes Beatae Mariae Virginis, depromptae sunt ex sublimi S. Bernardis Abbatis sermone super « Missus », iisque utitur Ecclesia in Festo SS. Nominis B. M. Virginis.

Sexta autem Lectio concinne refert historiam ex qua elucet quam mirum in modum expertus sit B. M. Virginis Patrocinium S. Hieronymus Aemiliani; ipsa enim fere iisdem verbis desumpta est ex Brevi Beatificationis et Litteris Decretalibus super Cananizatione ejusdem Sancti Patris Fundatoris, uti superius retulimus.

Lectiones demum Tertii Nocturni ex homilia ejusdem S. Bernardi Abbatis in Nativitate B. M. V. diligentissime collectae sunt, quaeque optime cum Festo celebrando conveniunt.

Ceteroquin si quid Vos, Eminentissimi Iudices, sapientia atque auctoritate Vestra, vel emendare, vel rectius efferre, censebitis, obsequentissimo animo ac prompta voluntate omne iudicium Vestrum excipiemus.

6. Quum vero res ita se habeant, spes nos erigit fore ut Sacer hic Ordo factae petitioni benigno annuat suffragio, ita ut concedere et approbare dignetur, ad majorem Deiparae Virginis honorem et gloriam, imploratum officium Proprium cum Missa; atque hunc in finem nostris humillimis precibus



6

adiunguntur, et eae quas fundunt Capitulum Genle-
atque, eadem mente eodemque consensu, universa
Sodalitas Clericorum Regularium de Somascha.

Quare etc.

Die 30 Martii 1921.

BASILIVS DE-SANCTIS

REVISA

CAROLVS SALOTTI S. Cons. Adv.

S. R. Congr. Adessor et S. Fidei Subpromotor Generalis

CONGREGATIONIS
CLERICORUM REGULARIUM DE SOMASCHA

CONCESSIONIS ET APPROBATIONIS

OFFICII PROPRII ET MISSAE

IN FESTO

PATROCINII B. M. VIRGINIS

MATRIS ORPHANORUM

S U M M A R I U M


NUM. I.

*Supplex libellus Revmi P. Procuratoris Generalis,
Congregationis CC. RR. de Somascha.*

Beatissimo Padre,

Per l'ardente pietà che la Religiosa Famiglia della Congregazione Somasca nutre verso la B. Vergine Maria, il desiderio che, tra i suoi membri e in particolare tra i giovinetti Orfani affidati dalla Divina Provvidenza alle sue cure, vada ogni giorno più crescendo il culto e la divozione verso di sì benigna Madre; la quale un giorno, ascoltando le preghiere ed i voti dell'afflitto Girolamo Emiliani, e liberandolo prodigiosamente dal carcere,





ne fece da quel momento stesso il consolatore dei tribolati e il sostegno amoroso di tante tenere anime derelitte, venendo così ad essere Essa stessa la vera suscitatrice di una nuova opera insigne di carità cristiana, ed a costituirsi Ella medesima la precipua e valida Patrona presso il Divino suo Figlio; il ven. Capitolo Generale di detta Congregazione, e per esso, l'odierno Procuratore Generale, chiede umilmente e vivamente alla Santa Sede Apostolica la grazia di poter venerare la loro Celeste Patrona con un culto loro particolare, che valga a sempre meglio conservare tra di loro la memoria di tanti benefici ricevuti e sia forte stimolo a tributarne grazie sempiterne, *l'Ufficio cioè e la Messa della B. Vergine Maria sotto il titolo - Patrocinium B. Mariae Virginis Matris Orphanorum* = con l'Orazione, gli Inni, le Antifone de' Vesperi e delle Lodi, nonchè le Lezioni del 2. e 3. Notturmo proprii, come da annessi allegati, e questo *col rito doppio di 2. classe*, opportunamente fissando detta Festa il 27 Settembre, che è il giorno anniversario della miracolosa liberazione di S. Girolamo Emiliani.

A fare tale supplica sono incoraggiati i Somaschi dalla constatazione che simile grazia fu già concessa dalla S. Sede ad altri Ordini Religiosi e recentemente confermata dalla s. m. di Pio X., nonchè dalla considerazione che a sfogo della loro incrollabile divozione a *Maria SS.* loro Madre non hanno alcuna altra festa speciale, all'infuori di quelle comuni a tutti i fedeli cristiani.

Che della grazia etc.

Roma, S. Girolamo della Carità, 20 Settembre 1920.

P. Angelo Maria Stoppiglia

Proc. Gen. dei Somaschi

L. ✠ S.

NUM. II.

Schema Officii et Missae

A) = *Officium.*

Die 27 Septembris

IN FESTO

Patrocinii B. Mariae Virginis Matris Orphanorum

Dupl. 2. Classis

*Omnia de Communi Festorum B. Mariae Virginis
praeter ea quae hic habentur propria. Lectio 9 et com.
Ss. Cosmae et Damiani Martyrum.*

In I et II Vesperis

*Ad Magnif. Ant. = Salve, gemma pudicitiae, de
qua mundo illuxit sol iustitiae: salve, pia Mater
Christianorum: succurre filiis ad Filium regem
Angelorum; Virgo, solamen desolatorum, spes et
Mater benigna Orphanorum, succurre.*

Oratio

Omnipotens et misericors Deus, qui per sanctis-
simam Virginem Mariam Genitricem tuam beatum
Hieronimum, a vinculis absolutum, orphanis a-
djutorem et patrem dedisti; concede, ut in neces-
sitatibus nostris maternum eiusdem Virginis auxi-
lium experiamur. Qui vivis etc.



Ad Matutinum

HYMNUS

O nimis prudens, nimiumque felix
Rebus in duris prece qui fatigat
Te, Mater, volis facilem, superni
Numinis alma.

Nam pium quisquis columen rogavit
Sensit et laetus: doluitque namquam
Quo suis, Virgo, fueris medela
Tarda querelis.

Tu per horrendas tenebras corusca
Lux regis gressus, reficisque nostrum
Languidum pectus, revelas jacentes
Vita, salusque.

Dulce Tu praebes miseris juvamen,
Gaudio et tristes hilares perenni:
Annuit, tradas, tibi quae libebit,
Munera Natus.

Ignis absumet prius astra, tellus
Vulsa nutabit subitis ruinis,
Quam neget natis pia Virgo fidis
Adfore custos.

Laetior scandat modo cantus astra,
Virginis et gratas meritas rependat,
Quod fuit Mater, voluitque Mater
Semper adesse.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super caeli solio coruscans
Totius mundi seriem gubernat
Trinus et unus. Amen.

In II Nocturno

LECTIO IV

Sermo Sancti Bernardi Abbatis (Homilia 2 super MISSUS circa finem)

O quisquis te intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare ne avertas oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso: cogita Mariam.

LECTIO V.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde: et, ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente, non metuis; ipsa duce non fatigaris; ipsa propitia, pervenis; et sic in te metipso experiris quam merito dictum sit: « Et nomen Virginis Maria ».



LECTIO VI

(Ex publicis monumentis)

Mariae Patrocinium quantum polleat, mirum in modum expertus est Sanctus Hieronymus Emiliani, Patricius Venetus, Congregationis Clericorum Regularium de Somascha Fundator. Nam militiae adscriptus, et Arci Castri Novi praefectus, cum numerum et vim longe majorem hostium ferre non potuisset, ferreis manicis et compedibus devinctus, in foedissimum carcerem coniectus est; cumque, omni humana ope destitutus, Beatissimae Virgini fuderit ex animo incensas preces, repente ab ipsa misericordiae Matre libertatem retulit, eiusque ductu per medios hostes incolumis evasit. Qua singulari Beatissimae Virginis protectione tactus Hieronymus, miris et suavissimis modis intus agente divina gratia, deposita toga, abdicatisque dignitatibus, ex illa die nuntium saeculo remisit, et velut novus homo novis vestibus indutus, christianae poenitentiae operibus, officiisque pietatis usquequaque addictus, ardentissima caritate praesertim in pauperes Orphanos colligendos enituit, ita quidem ut ad similitudinem Dei qui Pater dicitur Orphanorum maxime accedere videretur. Qua quidem in re et Catholicam Ecclesiam novi Ordinis institutione illustriorem reddidit, et evangelicae pietatis cultoribus exemplum reliquit, quo scilicet in misericordia erga pauperes exercenda ad Patrem Misericordiarum imitandum excitarentur. Ad servandam itaque tanti beneficii memoriam apud se suosque Orphanos alumnos, et ad gratiam sempiternam coelesti Matri tribuendam, Clerici Regu-

lares memoratae Congregationis humillimis precibus a Summo Pontifice. Benedicto decimoquinto impetrarunt Officium et Missam sub titulo « Patrocinii beatae Mariae Virginis Matris Orphanorum » pro die vigesima septima mensis Septembris, qua Sanctus Pater Hieronymus, coelesti eiusdem Deiparae patrocinio, vinculis animae simul et corporis solutus, veram filiorum Dei libertatem assecutus est.

In III Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII

Cap. 11, 27-28.

In illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis

In Nativ. B. M. V.

Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est vo-



luntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas eius est, sed pro nobis.

LECTIO VIII

In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folias fulgiebas. Iesum sibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare divinam: quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim: exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

Pro IX Lectione Ss. Cosmae et Damiani Mm. Sumantur Lectiones IV et V, quae in Breviario habentur, in unam iunctae.

Si IX Lectio alicuius Officii commemorati dicenda non sit, legatur sequens.

LECTIO IX

Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum

feliciter? Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus Fratres? Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratia est, quod hic sumus? Profecto misericordia Domini est, quod non sumus consumpti nos.

AD LAUDES

HYMNUS

Quae nunc fideli pectore
 Tuas ad aures mittimus
 Permixa vota laudibus,
 O Virgo, praesens accipe.

Tu spes, voluptas cordium
 Tu mentium lux fulgida,
 Fac quidquid orbis porrigit,
 Prae te sit usque sordidum.

Per Te sequi victoriae
 Detur amorem fervidum
 Ut aequa nos remunerent
 Aeterna Coeli praemia.

Haec mente tota poscimus,
 Haec ipsa Mater flagitat,
 Quae nos beatos cernere
 Exoptat inter caelites.

Tu, Virgo, vota suscipe,
 Tu corda semper subleva,
 Quo vota tendunt omnia,
 Et cuncta rident gaudia.



Iesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ad Benedictus. Ant. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

B) *In MISSA - omnia uti in Festo Patrocinii B. M. Virginis, praeter Orationem, ex Officio sumendam.*

Ponatur in folio
Ex Congressu diei 28 Januarii 1921
Angelus Mariani, S. Fidei Promot. gen.

REVISA

CAROLUS SALOTTI S. Cons. Adv.

S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor Generalis.